Miscella Ciceroniana Fridericvs Leo praemisit

Friedrich Leo

INDEX SCHOLARVM

PVBLICE ET PRIVATIM

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A DIE XX. M. APRILIS VSQVE AD XV. M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXXII

HABENDARVM.

Miscella Ciceroniana FRIDERICVS LEO praemisit.

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.
WILH. FR. KAESTNER.

Constantius Fund

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

VDALRICUS DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

CVM SENATV.

M. Tulli Ciceronis ad Atticum epistulas notum est vidisse Cornelium Nepotem, qui ista de eis scripserit Attico vivo (c. 16): *quamquam eum praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior. ei rei sunt indicio praeter eos libros in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, XI volumina epistularum ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum; quae qui legat non multum desideret historiam contextam eorum temporum.* servavit igitur epistulas nobilis amici Atticus voluminibus dispositas ut Attici servaverat Cicero (ad Att. IX 10, 4 *evolvi volumen epistularum tuarum, quod ego sub signo habeo servoque diligentissime*), legendas concessit familiaribus, publici iuris non fecit. neque enim fieri potuisse dicemus, ut imperante Augusto sive etiam Tiberio, ab Attico praesertim, in vulgus ederentur talia scripta de Divo Iulio (XV, 4, 3) *illum quem di mortuum perduint*, cf. 20, 3 *di illi mortuo, qui umquam Buthrotum.* quae si iam edita fuissent, manere potuissent, ut similia in Philippicis librisque de divinatione et de officiis, tunc temporis edi non potuerunt. idem cadit in epistulas familiares, in quibus quod legitur *odium illud hominis impuri* (XII, 1, 1), *quem tu nequissimum occisum esse dixisti* (2, 1) et alia eius generis convicia, non miramur primum de eis verba quaedam afferentem Senecam patrem in suasoriarum libello (1, 5), quem editum esse post Tiberi mortem constat. Tullius Tiro autem, quem collectionem harum epistularum fecisse probabile est, non multis annis ante obiisse videtur, ut credi possit ex Tironis testamento eas populo Romano traditas esse.

Certiora de epistulis ad Atticum Buechelerus docuisse videtur, qui Asconio eas ignotas fuisse ex illius commentario ad orationem contra competitores habitam p. 76 sq. collegit (mus. Rhen. XXXIV p. 352 sq.). non persuasit Hofmanno (epist. sel. 1884 p. 13) et Schwabio (hist. litt. rom. 1890 p. 362); qui contra nihil aliud attulerunt quam probabile esse, ut Hofmannus dixit, Augusto imperante omnes epistularum collectiones editas esse, sive, ut Schwabius, probabile non esse epistulas ad Atticum saeculo post mortem Ciceronis editas esse. de qua probabilitate eis quae iam exposui postea aliquid adi-

ciam; nunc id teneamus, quod etiam Hofmannus concedit, permirum esse in Asconio, historiae Ciceronianae curiosissimo exploratore, quod de Catilinae defensione operosam quaestionem instituat, cum ipsa quaestio Ciceronis epistula ad Atticum in initio collectionis posita profligetur. sed νηῦς μιῆς ἐπ' ἀγκύρης οὐκ ἀσφαλὴς ὁρμοῦσα. videor autem Buecheleri disputationi addere posse argumentum et genere et firmitudine compar. pro Milone Cicero, ut refellat adversariorum sententiam fecisse *nihil per vim umquam Clodium, omnia per vim Milonem*, coacervat omnia facinora Clodi per vim et insidias commissa, et post memorata Hortensi periculum et Vibieni necem sic pergit 14, 37: *itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? haec intentata nobis est, huic ego vos obici pro me non sum passus, haec insidiata Pompeio est, haec viam Appiam, monimentum sui nominis, nece Papiri cruentavit, haec eadem longo intervallo conversa rursus est in me: nuper quidem, ut scitis, me ad Regiam paene confecit.* ubi quod de insidiis ipsi inlatis dicit *manifestum est pertinere ad id tempus quo post rogationem a P. Clodio in eum promulgatam urbe cessit* (Asconius p. 41), Pompei insidias idem Asconius ad III. Idus Sextiles eiusdem anni refert, Papiri necem in causa Tigranis item ad tribunum plebis Clodium; atque ad *Tigranem neglectum* respicere videmus Ciceronem in epistula IV. Kal. Iun. eiusdem anni scripta (ad Att. III 8, 3). haec igitur ad paucos menses a. 696 omnia pertinent. ad ultima autem illa quae sunt *haec eadem longo intervallo conversa rursus est in me: nuper quidem, ut scitis, me ad Regiam paene confecit*, haec est Asconii adnotatio: *quo die periculum hoc adierit, ut Clodius cum ad Regiam paene confecerit, nusquam inveni* (*nusquam pene conveni* codicis apographa, cuius erroris originem ad illud *paene confecerit* referendum esse intellexit Baiterus; idem egregie correxit quod infra legitur *adsidue simul erant*, ubi codex habuit *ad id ue timuerunt*); *non tamen adducor ut putem Ciceronem mentitum, praesertim cum adiciat 'ut scitis'. sed videtur mihi loqui de eo die, quo consulibus Domitio et Messalla* (a. 701), *qui praecesserant eum annum cum haec oratio dicta est, inter candidatorum Hypsaei et Milonis manus in via Sacra pugnatum est multique ex Milonis ex improviso ceciderunt. de cuius diei periculo suo ut putem loqui eum facit et locus pugnae* (*nam in Sacra via traditur commissa, in qua est Regia*) *et quod adsidue simul erant cum candidatis suffragatores, Milonis Cicero, Hypsaei Clodius.* haec probabiliter disputata esse nemo negabit. nimirum ab eo quod Cicero dixit *longo intervallo* Clodi sicam in se rursus conversam et *nuper* se ad Regiam paene confectum esse, ab ea igitur temporis notatione profectus ad ultima Clodi facinora rem rettulit; pugnam aliquam in Sacra via commissam invenit; pugnae Ciceronem interfuisse coniecit. coniecturae probabilitatem item agnosceremus, si de re qualem Ciceronis verba describunt testimonium nullum superesset. atqui in epistula ad Atticum scripta IV, 3 postquam narravit fabros de area sua armatis hominibus expulsos et Q. fratris domum iussu Clodi inflammatam esse, illum dementem ruere ac nihil post hunc furorem nisi caedem inimicorum cogitare, sic pergit: *itaque ante diem III. Idus Novembres, cum Sacra via descenderem, insecutus est me cum suis: clamor lapides fustes gladii, haec improvisa omnia. discessimus in vestibulum Tetti Damionis.* a quibus aedibus prohibitum Clodium Milonis domum expugnare et incendere conatum esse, secutam pugnam inter Milonianos et Clodianos. cum orationis verbis concinere apparet rem et locum; quod adnotasse ex commentatoribus video ad Milonianam Nicolaum Abrahamum, ad epistulam Sebastianum Corradum. atque mirum esset si Cicero tam luculentum Clodi facinus in

illa enumeratione omisisset. iam tempus item concinere contendimus, siquidem quod *longo intervallo* Clodi sicam *rursus* in se conversam esse dicit, primum sibi intentatam dixerat ante exilium, rursus ut intellegimus duobus mensibus post reditum, id est anno et plus quam septem mensibus interiectis, tempore sane longo tot aerumnas complexo et celeberrimi reditus laetitiam curasque. sed adicit, *nuper* se ad Regiam paene confectum esse scire iudices; quod verbum in causa fuit, ut Asconius tam brevi spatio ante Clodi mortem rem accidisse coniceret. sane item visum Paulo Manutio, qui in commentario ad epistulam rem eandem quam in oratione significari non posse contendit, cum oratio pro Milone quinquennio fere interposito habita sit; scilicet quadriennio cum quinque mensibus non integris, siquidem res accidit a. d. III. Id. Nov. anni 697, oratio habita est a. d. VI. Id. Apr. a. 702 (nam Asconi p. 26, 2 apographa conspirant, p. 35, 27 discrepant inter se, ut recte non priorem sed alterum numerum correxerint Kiesslingius et Schoellius). sed notum est *nuper* accidisse id oratorem dicere quod ante breve temporis spatium accidisse videri auditoribus velit, velut Cicero pro Sulla perorans sic loquitur (32, 89): *nuper is homo fuit in civitate P. Sulla, ut nemo ei se neque honore neque gratia neque fortunis anteferret, nunc spoliatus omni dignitate quae erepta sunt non repetit*, scilicet ut subita fortunae mutatio commiserationem moveat; sed a. 692 loquitur et a. 688 Sulla honore spoliatus est. sic Clodi odium excitaturus nuper eum commisisse dicit quod auditorum memoria nondum excidisse confidat. atque ne figura quidem opus est, ut vocabulum vim suam, quae apparet in veterum scriptorum locutionibus *nunc nuper* et *nuperum novicium*, deponat. iam Corradus l. s. ad epistulam II 20, 6 lectores relegavit medio a. 695 scriptam, ubi Diodotum mortuum esse comperimus, quem in Bruto, i. e. vere anni 708, *nuper* domi suae mortuum esse narrat; cuius generis alia ad hunc locum interpretes adferunt, multa Drakenborchius ad Livium IV, 30, 14 et quos praeterea enumerat Handius Tursellini IV p. 346. sed aliud esse dicent, in epistula sermonem esse de eadem re quam in oratione tetigerit, aliud Asconium id videre debuisse: illum animum suum propter illa quae sunt *longo intervallo* et *nuper* ad tempora mortem Clodi proxime praegressa intendisse ibique certum testimonium nullum repperisse. talis argumentatio de quovis scriptore antiquo valeret, de Asconio non valet; qui si legisset epistulam, eius testimonium attulisset et fortasse eodem modo dubitavisset quo postea dubitavit Manutius; sed non scripsisset ista: *nusquam inveni, non tamen adducor ut putem Ciceronem mentitum.* atqui si editae fuissent, legisset epistulas.

Ergo saeculo post mortem Ciceronis eius ad Atticum epistulae publici iuris factae sunt. quas quo favore exceperint Ciceronis inimici, quorum tunc maxime vigebat in litteris potentia, ipsius eorum ductoris Senecae epistula CXVIII satis ostendit: *nec faciam quod Cicero, vir disertissimus, facere Atticum iubet, ut etiamsi rem nullam habeat, quod in buccam venerit scribat* (I 12, 4). *numquam potest deesse quod scribam, ut omnia illa quae Ciceronis implent epistulas transeam: quis candidatus laboret* (I 1), *quis alienis quis suis viribus pugnet, quis consulatum fiducia Caesaris quis Pompei quis arcae petat, quam durus sit faenerator Caecilius, a quo minoris centesimis propinqui nummum movere non possint* (I 12, 1): *sua satius est mala quam aliena tractare* e. q. s., nempe ad primas primi libri epistulas, licet quaedam non accurate relata sint (ut quae de fiducia Caesaris Pompei arcae dicuntur locum qualis est IV 15, 7 potius quam I 16, 12 tangere videantur), ista omnia spectant et lectorem ostendunt librum iniucundum, quem plane neglegere non

liceat, fastidiose et primoribus labris degustantem. sed non omnes lectores ita animati fuerunt, neque equidem editores epistularum Ciceronis memoriae officere voluisse credo. immo ut ego me sentio et alios teneri amore hominis, dum haec cultissimi ingenii humanissimi animi monimenta tractamus ac per gravium leviumque curarum dolorum laetitiarum vicissitudines humana omnia perpetientes ducimur, item accidisse hominibus Romanis persuasum habeo, nisi quis aut severae disciplinae sententias et praecepta disputandi causa arripuisset aut diversum eloquentiae genus amplexus simplicem pulcritudinem sermonis Ciceroniani (nam simplex est pulcritudo praeter contiones et orationes nonnullas in senatu habitas) sperneret et insectaretur. quod genus Seneca duce tunc regnasse notum est; sed contra illos ut Ciceronis studium incitaretur factum esse videtur ut tunc potissimum eius epistulae publicarentur. neque enim defuisse umquam Ciceronis memoriae amicos et adiutores nomina satis indicant Cassi Severi, Asconi, ipsius Claudi; atque iam tum renascebatur in Quintiliano gloria eloquentiae Tullianae. aliud autem accedebat quo ipsae epistulae multis illius aevi hominibus quam maxime acceptae fieri debebant. scilicet post Tiberi regnum et impotentem Gai saevitiam Claudi stultitiam liberae rei publicae diu sepultae novum desiderium multorum et optimorum virorum animos in urbe Roma implevisse scimus; illi facile aestimari potest quanta cupiditate arripuerint litteras secretas viri, qui omnium ultimus sua voce et auctoritate rem publicam regere visus esset atque cum ipsa re publica occubuisset. quae litterae animo a cautela ac suspicione libero scriptae et amissae rei publicae amore et dolore plenae sane homines libertatis cupidos ita afficere debebant ut dulcem curis amaritiem miscerent.

Sed haec disputatio ne tota corruat periculum est. scilicet, quod ab aliis in ista causa omissum esse video, Quintilianus quidem VI 3, 109 exemplum praebet contumeliosi *quod Cicero Attico scripsit de Pompeio et Caesare 'habeo quem fugiam, quem sequar non habeo'* (cf. VIII 5 18); at non de suo promit, sed de Domiti Marsi copiis: § 108 *ne tamen iudicium Marsi, hominis eruditissimi, subtraham, seria partitur in tria genera, honorificum contumeliosum medium. et honorifici ponit exemplum Ciceronis pro Q. Ligario — contumeliosi quod Attico scripsit — medii* ex quarta in Catilinam; atque impugnat Marsi sententiam haec addens eis quae primum exscripsi: *quae omnia sunt optime dicta, sed cur proprie nomen urbanitatis accipiant non video.* ab eodem Marso sumpsit quod § 112 ex Ciceronis ad Caerelliam epistula non servata nobis adfert; nimirum totus locus (§ 102—112) est de Marsi libello, quem 'de urbanitate diligentissime scripsit'. ergo Domitius Marsus, quem post Vergilium sed ante Ovidium mortuum esse scimus, ex Ciceronis ad Atticum litteris exemplum attulerat, vide VIII 7, 2 *ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo.* sed inde nequaquam sequitur eum ipsis litteris usum esse; immo illud ipsum unde sumpserit urbanitatis exemplum, apophthegmatum collectiones docent et Plutarchiana et Macrobiana. quarum in altera legimus (Cic. 14) *Πομπηίου καὶ Καίσαρος διαστάντων ἔφη· γινώσκω ὃν φύγω μὴ γινώσκων πρὸς ὃν φύγω,* in altera (sat. II 3, 7) *Pompeius Ciceronis facetiarum impatiens fuit. cuius haec dicta ferebantur : ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo* etc. atque in hanc quidem collectionem verba ex ipsa epistula excerpta transiisse apparet sive a Tirone sive ab alio, cui aditus ad eas pateret (*Tiro aut alius quisquis fuit qui tris hac de re libros edidit* Quint. VI 3, 5, cf. Macr. II 1, 12 et confidentius loquens scholiasta Bobiensis p. 309, 31),

cum Marsus dictum ex sententiarum compage solutum et liberius enuntiatum similiter accepisset atque Plutarchus. idem igitur aut fere idem hic accidit quod in epistulae verbis quae Seneca in libro de vita beata non ex epistulae lectione adfert, ut exposuit Buechelerus l. s. 254 sq.

Ad eundem finem pervenimus, si quae de epistulis ab Attico adservatis Nepos tradit cum collectione qua utimur accuratius componimus. Nepos igitur vidit *undecim volumina epistularum ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum.* quae undecim volumina postea, cum in vulgus ederentur, et demptis quidem epistulis *ad extremum tempus pertinentibus*, sedecim facta esse non admodum mirabile est; similis ratio intercedit inter octo et tredecim librorum Thucydideorum ordines. eadem autem qua nos editione Seneca usus est, ut locus supra exscriptus docet (atque ep. 97, 4 numero libri indicato item libri primi verba (16, 5) adferuntur), eadem Noni auctores; alia igitur editio nulla exstabat et Attici illam distributionem editor non retinuit, sed maiora volumina minora fecit. atque consilium editoris ut in dispositione librorum universa apparet, sic in eis quoque partibus aliquod, quae paucorum mensium multas epistulas compluribus libellis comprehensas praebent; ut librorum VII—X, qui epistulas sex mensium non integrorum complectuntur, secundus desinit in consilio profectionis tandem capto, quod in initio tertii rursus incisum esse videmus, tertius iterum in consilio capto, in exequendo quartus. sed in singularum epistularum ordine quotiens et quam variis modis erratum sit nemo nescit. hos errores Attico editori ascribere non possumus, ne Attico praeparanti quidem ad editionem epistulas. quae res sit, in initio syntagmatis potissimum apparet. Nepos quidem quod dicit, a consulatu Ciceronis incipere epistulas, id inaccurate dictum videtur; nam re vera incipiunt duobus annis post, et eo tempore, quod Nepos dicit, Atticus Romae versabatur, quem a. 689 Romam rediisse ipse Nepos tradat (c. 4). antecedunt autem continuae seriei undecim epistulae (I 1—11) ad a. 687—689 pertinentes, de quibus Nepos tacet, eas ignorans videlicet; nam nulla causa erat quin a praetura Ciceronis usque ad extrema tempora epistulas pertinere potius diceret quam, ut rem exaugens dixit, a consulatu. quae undecim epistulae quam turbato ordine positae sint primus Manutius exposuit; scilicet primae duae ad a. 689, tertia ad finem, quarta ad priorem partem anni 688, quinta usque ad undecimam, ipsae sese non recto ordine excipientes, ad a. 687 pertinent. quae turbae Attico non magis tribui possunt; sed Seneca ab ipso primi libri initio excerpta sua exorditur, eodem igitur ordine illas quoque dispositas habebat epistulas. atque editor quibus indiciis inductus illas ut fecit collocaverit hic illic cognosci posse videtur; velut in secundae fine legimus: *quare Ianuario mense cura ut Romae sis*, in tertia duobus annis ante scriptae initio: *nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus*, deinde quarta sequente anno scripta incipit: *crebras exspectationes nobis tui commoves; nuper quidem, cum iam te adventare arbitraremur, repente abs te in mensem Quintilem reiecti sumus.* deprehendere videmur virum ex externis quibusdam signis litteras ordinantem, quas annorum spatiis distineri nesciret. ex his collectis concludendum est, illas epistulas ab Attico nondum suo loco positas postea inventas esse et praemissas post consulatum scriptis. in paucitate earum non haeremus, neque sequitur multas ab Attico servatas post mortem eius periisse; neque enim probari potest aut probabile est, Atticum ante a. 693 multas a Cicerone epistulas accepisse. in epistula I 5, quae tempore prima est aut inter primas, sermo

quidem multus est de litteris scriptis ac scribendis, sed totius tenor frigus amicitiae ostendit, quale multarum ad familiares scriptarum, nec reliquae calorem, qualem plurima adultae per annos quattuor Romae una peractos amicitiae documenta. quod si denuo Nepotis verba ac totum caput eius consideramus, ultro movetur quaestio, qualia illa fuerint volumina epistularum; quaerimus, ut apertius dicam, num veros libellos viderit Nepos litterarum transscriptarum seriem complexos. atque Tironi quod scribit Cicero fam. XVI 17, 1 *video quid agas, tuas quoque epistulas vis referri in volumina*, sane de transscriptione epistularum cogitat, cf. ad Att. XVI 5, 5. sed ad Att. IX 10, 4 *evolvi volumen epistularum tuarum, quod ego sub signo habeo servoque diligentissime*, haec verba, quae epistulas spectant ultimorum temporum ac dierum, non possunt ita intellegi ut litteras quam maxime secretas in ista rerum anxitudine in libellum transscribendas curaverit; vix credi potest aliud volumen dici ab illo quam ipsarum epistularum, ex quibus, ut commode servari possent, fasciculum effecerit. hic igitur vocabuli proprius significatus manifestus est. eodem modo Atticum Ciceronis litteras sine ullo editionis consilio adservasse conicimus, non libellos scilicet sed ipsarum convolutarum fasciculos. priorum annorum illae aut latebant in primo fasciculo aut alio loco servabantur. sic multa rectius intellegi videntur ad totam syntagmatis condicionem quae pertinent, quo modo ordo epistularum turbatus sit et disiecta aliquarum membra cum integris coniuncta et maximae corruptionis initia quo modo orta sint. nimirum illo modo servatas epistulas post Attici mortem per tot annorum spatium multas temporum hominumque iniurias subiisse probabile est.

De epistularum ad Atticum emendatione sententiam proferre fere non audeo, de quarum recensione id quidem scimus post egregiam O. E. Schmidtii operam, res gravissimas adhuc nos ignorare. certe de eis locis iudicium cohibendum est, quibus in Mediceo variam lectionem ascriptam esse sciamus. sed dicam de epistulae I 18, cuius maior pars cum sequente tota in Mediceo intercidit, loco corrupto et iam conclamato; qui sic legitur in codicibus quibus utimur (§ 2): *in re publica vero, quamquam animus est praesens, tamen voluntas etiam atque etiam ipsa medicina efficit*. nam quod Tornaesianum habere *medicinam* dicit Bosius, id non accedente Lambini testimonio omittendum est, atque apparet illum suam coniecturam *medicinam effugit* mendacio fulcire voluisse; Malaspinae autem testimonium, qui *medicinam* adfert, nimis inaccuratum est. opponit igitur ut videtur Cicero voluntatem animo, quae coniungi solent (*ipsi animus nondum nec cordi fixa voluntas*); sed idem eum fecisse in Philippica secunda 12, 29 iam Malaspina adnotavit: *etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt: aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit, voluntas nemini.* contra quem satis Graevius disputavit. scilicet isti voluntatem habebant; si animum habuissent, aliquid fecissent; sed animum sine voluntate habere nemo potest. ergo non recte emendavit Victorius, quod ab illo multi et ultimus Wesenbergius receperunt, *tamen voluntas etiam atque etiam ipsa me deficit*, non recte Madvigius (adv. II p. 234) *tamen voluntas iam atque etiam ipsa me medicina deficit*; neque vero in ipsa re quam statim adfert voluntatem se defecisse ait: *etenim post profectionem tuam primus ut opinor introitus fuit in causam fabulae Clodianae, in qua ego nactus ut mihi videbar locum resecandae libidinis et coercendae iuventutis vehemens fui et omnes profudi vires animi atque ingenii mei, non odio adductus alicuius, sed spe corrigendae et sanandae civitatis: afflicta res publica est empto constupratoque*

iudicio. immo 'animus est praesens', ut ad Atticum scribit X 9, 2 *dices 'ubi ergo tuus ille animus, quem proximis litteris?' adest, et idem est*, vel Philipp. 4, 1 *quamquam animus mihi quidem numquam defuit, tempora defuerunt;* ac si dicere voluisset taedium instare totiens decepti conaminis, plane aliis verbis usus esset. quam difficultatem ut eluderent alii animum ad Ciceronem, voluntatem ad alios rettulerunt, in quam sententiam Gronovius scribendum coniecit *tamen voluntas socium me, atque etiam ipsa medicinam effugit* (haec ultima Bosio confidens), Bootius *tamen voluntas civium atque etiam ipsa me medicina deficit,* alii animum cum voluntate coniungebant, velut Orellius hanc fere sententiam requiri dicit: *quamquam animus est praesens et voluntas etiam, tamen eam* (rem publicam) *iam ipsa medicina deficit.* otiosam differentiam ut efficerent, destruxerunt illud *etiam atque etiam,* quod quam genuinum sit hi epistularum loci docere possunt: XV 8, 2 *de te quaeso etiam atque etiam vide*, 14, 3 *causam a me etiam atque etiam tibi commendatam,* fam. XIII 28, 1 *puto enim etiam atque etiam mihi dicendum esse,* 45 *etiam atque etiam rogo,* item 76, 2. atque sequitur earum rerum enumeratio, quae post Attici discessum actae ostendant, res Romanas diutius stare non posse. servavit autem postea Madvigius *etiam atque etiam,* cum scribendum coniceret (adv. III 167) *tamen volutantes etiam atque etiam ipsa medicina deficit;* quam coniecturam satis refutavit Tyrrellius vol. I^2 p. 425; qui quod ipse coniecit *quamquam animus est praesens et voluntas, tamen etiam atque etiam ipsa medicinam effudit* (collatis verbis II 9, 1 *qui omnia remedia rei p. effuderunt*), neque duplex vel triplex correctura probabilis est (nam ne *medicinam* quidem traditum est) neque persona rei publicae hic quidem apte infertur. illud omnes viderunt praeter eos qui Victorium secuti sunt, *medicinam* removeri non debere; nam statim dicit nactum se sibi visum esse locum *resecandae* libidinis, egisse se adductum spe *sanandae* civitatis, pergit: *quantum hoc vulnus* et infra: *unus est qui curet, constantia magis et integritate, quam ut mihi videtur consilio aut ingenio, Cato.* imagine igitur utitur publici morbi ac medici, pervagata post Platonem (cf. Protag. 322 D, de leg. 906 C et in re publica saepe), quam de oratione malorum publicorum remedio Isocrates exornat 8, 39 sq. (*καταγέλαστόν ἐστι τὰς μὲν καύσεις καὶ τὰς τομὰς τῶν ἰατρῶν ὑπομένειν, ἵνα πλειόνων ἀλγηδόνων ἀπαλλαγῶμεν, τοὺς δὲ λόγους ἀποδοκιμάζειν πρὶν εἰδέναι σαφῶς εἰ τοιαύτην ἔχουσι τὴν δύναμιν ὥστε ὠφελῆσαι τοὺς ἀκούοντας*); eandem Brutus habet in epistula I 4, 3 *neu semper primi cuiusque mali excidendi causa sit,* alias ipse ad Att. IV 3, 3 *occidi potuit, sed ego diaeta curare incipio, chirurgiae taedet*, II 1, 7 *non minus esset probanda medicina quae sanaret vitiosas partes rei publicae quam quae exsecaret*; nimirum medici *leviter aegrotantes leniter curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes et ancipites adhibere coguntur* (de off. I 83) ac verendum est ne *quae sanare nequeunt exulcerent* (de or. II 303); quare T. Quinctio apud Livium XXXIV 49, 2 *satius visum est tyrannum debilitatum relinqui quam intermori vehementioribus quam quae pati posset remediis civitatem sinere.* quae de rebus humanis quam frequenter usurpetur sententia notum est: *ἐνταῦθα μέντοι πάντα τἀνθρώπων νοσεῖ, κακοῖς ὅταν θέλωσιν ἰᾶσθαι κακά*, cf. Sen. Med. 433 *remedia quotiens invenit nobis deus periculis peiora*, Sen. contr. exc. VI 7 *quaedam remedia graviora ipsis periculis sunt.* ad talem curationem ancipitem spectare illo loco quem tractamus Ciceronem manifestum est; quod si quaerimus quid in re publica etiam atque etiam medicina efficiat, respondemus *vulnus.* nimirum, ut deinde exponit, cum publica mala Clodi facinore aperta et illustrata sanare vellet, maior rei publicae clades inde consecuta est; cum senatus de ambitu

2

et de iudiciis leges perferre studeret, consilium salubre eum eventum habuit ut et senatus auctoritas deminueretur et ordinum concordia diiungeretur, quaeque eiusdem argumenti alia percenset, ut ostendat ipsam medicinam identidem vulnus effecisse; nam quae inserit cum mala tantum sint, non remedia periculis graviora, ea cum illis coniuncta longiorem malorum seriem reddunt. desperat simili modo ad Atticum scribens IX 5, 2 *omitto causam rei publicae, quam ego amissam puto cum vulneribus suis, tum medicamentis eis quae parantur.* sic igitur locus restituendus est: *in re publica vero, quamquam animus est praesens, tamen volnus etiam atque etiam ipsa medicina efficit.* Cicero autem quin scripserit non *vulnus* sed *volnus*, cui successit *voluntas*, neque dubitat quisquam et in Mediceo servatum est e. g. XII 18, 1 *quae res forsitan sit refricatura volnus meum.*

Relinquam epistulas ubi verba tetigero quae leguntur V 11, 3 *id* (Pompeium in Hispaniam ire) *ego minime probabam; qui quidem Theophani facile persuasi nihil esse melius quam illum nusquam discedere.* ibi quod in Mediceo scriptum est iteratis verbis tribus *melius quam illud nusquam quam illum nusquam discedere*, sed ita iteratis ut *illud* et *illum* scripturae discrepantiam et causam duplicis scripturae ostendant (atque *illud* iterum super *illum* scriptum est), pristina loci species haec fuisse videtur: *nihil esse melius quam illud, nusquam discedere.* quo modo loquitur de fin. I 1 *totum hoc displicet, philosophari,* de off. II 84 *ut hoc ipsum cum delectaret, peccare,* Parad. 20 *ipsum quidem illud, peccare, quoquo verteris unum est,* sive Q. Cicero de pet. 4 *etiam hoc multum videtur adiuvare posse novum hominem, hominum nobilium voluntas*, et Plautus multis locis (cf. Capt. 267 Curc. 670 Most. 600. 1091. 1165), adde quae Vahlenus composuit in indice lect. 1880 p. 10 et e. g. Frontonis epist. ad M. Caes. III 12 *ea res, verum dicere, prorsum dis hominibusque ardua.* in his pronomen uni alicui parti orationis praemittitur, in alia locutionis specie ad idem genus pertinente enuntiatum verbumve sententiam regens insigni vigore effert pronomen, ut in sermone urbano Atticorum *τοῦτ' ἐκεῖνο* sive ut Apollonius Dyscolus loquitur de constr. p. 197 *καθάπερ τινὲς αὐτὸ μόνον, ἐκήρυξαν τοὺς σολοικισμούς.* cuius modi exemplum Ciceronianum attulit Vahlenus p. 7, addo ad Q. fr. II 6 (8), 2 *illud scilicet, cenabis cum veneris;* Plautinis quae Vahlenus pertractavit adici possunt Asin. v. 149 *ne id quidem, me dignum esse existimat quem adeat,* quae verba distinxi in editione, Most. v. 328 *sed hoc, quod mi in manust, si cades non cades quin cadam tecum,* quae verba primus Vssingius recte explicavit, Pseuduli 391 *ergo utrumque, tibi nunc dilectum para ex multis atque exquire illinc unum qui certus siet* et Truculenti 570 *hoc sáltem, [rem] servat nec ulli ubi sit apparet,* quorum locorum duorum lectio quoniam sine ampliore disputatione explicari non potest, exscripsi versus ut scribendos esse iudico. in istis omnibus quasi extrinsecus accedit pronomen atque demi potest plerumque sine structurae detrimento; aliud genus est in quo non magis omitti potest quam in graecis articulus, cum dictio pronomine fulcitur et enuntiato iniungitur, non maiorem vim accipit; quo modo proverbia versusve efferri solent, decurtata praesertim, ut ad Att. V 10, 3 *o illud verum ἔρδοι τις,* vel de fin. II 71 *nosti credo illud nemo pius est qui pietatem.* eo pertinere dico verba quae leguntur de fin. IV 2; ubi Ciceroni contendenti Stoicos a Peripateticis non re sed verbis dissidere Cato respondet: *putabam equidem satis me dixisse. quare ad ea primum, si videtur; sin aliud quid voles, postea,* insequitur Cicero: *immo istud quidem, quo loco quidque, nisi iniquum postulo, arbitratu meo.* haec re vera tradita esse Madvigius intellexit et aliorum ineptias satis superque refu-

tavit. sed idem quod post illa *quo loco quidque* verbum intercidisse statuit quale *visum fuerit* vel *occurrerit*, qua in re adsentientes habuit Baiterum et Muellerum, in hoc sermonum circuitu nec *ad ea* nec *postea* nec *arbitratu meo* verba habent quibus nitantur, et incipit libellus sic: *quae cum dixisset, finem ille.* hoc autem dicit, se non ad illa primum respondere, sed ordinem et distributionem rerum suo arbitratu instituere velle (cf. Cornif. I 3 *dispositio est ordo et distributio rerum, quae demonstrat quo quidque loco sit collocandum*), id quod facit in sequente disputatione (cf. 5. 8. 14. 24). ergo verbum si quis subaudire volet, subaudiendum erit, non supplendum *dicatur* vel *dicendum sit.*

In eiusdem libri IV de finibus initio Cicero cum Catone pugnans Stoicorum doctrinam moralem omnino aditum nullum habere posse dicit *in urbem, in forum, in curiam* et res accuratius persecutus quaerit quae sit ista philosophia, quae *communi more in foro loquatur, in libellis suo* (9, 21); notum est quam facete fere duodeviginti annis ante in easdem Stoicorum et Catonis sententias invectus sit pro Mur. 29, 60 sq.; sed anno ante libros de finibus eiusdem doctrinae potissimas sententias tractavit, eas *maxime esse Socraticas* praefatus *longeque verissimas.* scilicet orator rhetorve scripsit, non philosophus paradoxa Stoicorum, quae in corpore scriptorum philosophicorum tradita quidem sunt, sed ut rhetoricum opusculum non memorata in initio libri II de divinatione. nimirum in prooemio paradoxorum dicit se illa ipsa quae vix in gymnasiis et in otio Stoici probent, ludentem coniecisse *in communes locos*, genus exercitationum appellat, quibus uti consueverit, cum ea quae dicantur in scholis θετικῶς transtulerit ad *hoc oratorium dicendi genus*; id se fecisse ex imitatione Catonis, qui saepe in senatu sententiam dicens locos graves ex philosophia tractaverit *abhorrentes ab hoc usu forensi et publico;* audacius etiam se, qui ipsa illa παράδοξα tractet. ibi ita loquitur (4): *temptare volui possentne proferri in lucem, id est in forum, et ita dici ut probarentur, an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio.* atque verba quae sunt *id est in forum* post Bentleium et alios deleverunt editores; quae si posuit Cicero, sane certo consilio posuit. atque ita compositi sunt loci communes illi, ut consentaneum est, ut verbo nullo mutato in orationem recipi possint (cf. de inv. II 47 sq. Brut. 46 Orat. 126), incipiant sic: *nec vero, ego vero, parva inquit est res*: argumenta autem orationum quae spectant quatenus certo cognosci possunt, iudicialia sunt, ut 20 *parva inquit est res; sed magna culpa* e. q. s., 42 *quae est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio* e. q. s., et cum possint quaedam ad invectivas in senatu habendas spectare, ut quibus in Clodium invehitur 27 sq., omnia tamen contra unum adversarium transiguntur et loquitur ut apud iudices solet (cf. 33 *si mihi apud aliquos agrestes haec habenda esset oratio* e. q. s.). ergo cum Cato *in senatu* dicere soleret abhorrentia ab *hoc usu forensi et publico, sed dicendo consequi tamen ut illa etiam populo probabilia viderentur* (quod dicere non potest nisi editas orationes respiciens), ipse ne illa quidem Catoniana, sed paradoxa ipsa prolaturus est *in lucem, id est in forum*, ubi magis etiam communi more loquendum est quam in curia, et temptaturus an erudita oratio a *populari* plane aliena sit. non otiosum igitur esse videtur quod addidit *id est in forum.* item *lucem* et *forum* composuit ad Att. V 15, 1 *denique haec non desidero; lucem, forum, urbem, domum, vos desidero.* lux autem quo modo forum significet in sermone urbano optime orationum loci monstrant, pro Rab. Post. 48, ubi postquam dixit: *huic optimo viro nomen equitis Romani et usuram huius lucis et vestrum conspectum ne eripiatis*, pergit: *hic vos nihil aliud orat nisi ut rectis*

oculis hanc urbem sibi intueri atque in hoc foro vestigium facere liceat, pro Quinct. 74 *ut per se afflictum atque eversum propinquum suum non modo honeste partis bonis, verum etiam communi luce privaret*, cf. 49. qui loci docere possunt quid sibi voluerit Plautus in Truculento v. 574 haec componens: *privavit bonis, luce, honore atque amicis.*

Nemo saepius et acrius quam Madvigius in commentario librorum de finibus castigavit quae Cicero, cum sine magna cura nec disci nec dici possent, inaccuratius conscripsit. sed ne ipse quidem Madvigius, quo nemo melius his tribus saeculis Ciceronem novit, ubique iure eum vituperavit. velut de fin. II 33 haec traduntur codicum consensu: *bestiarum vero nullum iudicium puto; quamvis enim depravatae non sint, pravae tamen esse possunt. ut bacillum aliud est inflexum et incurvatum de industria, aliud ita natum, sic ferarum natura non est illa quidem depravata mala disciplina, sed natura sua.* in sententia simplici ac dilucida comparatione miramur scriptorem in ipsa conclusione balbutientem. qui cum distinxerit inter depravata et prava eaque comparaverit cum incurvatis et natura curvis, ita concludit ut ferarum naturam dicat non illam quidem *depravatam mala disciplina, sed natura sua.* rem plane exposuit Madvigius, sed ita ut codicum scripturam defenderet, his verbis: 'neglegenter Cicero scripsit, primum sic contraria ponens *malam disciplinam* (aliorum) et *naturam suam* (quae ipsa figura defendit scripturam), ut oblivisceretur subiectum esse non *feras* sed *naturam ferarum*'. atque hoc fortasse tolerari deberet, ut naturam natura sua depravatam diceret, licet non aptissima esset de bestiarum natura figurata locutio cum ironia, qualis pro Mil. 36 *et mihi videlicet in causa aut mala aut mea, non et praeclarissima et vestra, iudicium timendum fuit*, sive Plaut. Pseud. 104 *aut bona opera aut hac mea;* nam talem figuram inesse sermoni voluisse Madvigium puto. sed quod addit 'deinde, cum seiunxisset *depravati* et *pravi* notionem, hic tamen, omnia coiciens in illam oppositionem disciplinae et naturae, *depravata* communiter posuit, ut etiam *prava* (in secundo membro) comprehenderetur', hoc non credimus nec toleramus; nam pravum nisi depravato oppositum sit, et vis sententiae et sensus perit. duplex vitium in una dictione quae est *natura sua* coniunctum unam medelam flagitat; atque illa duo qui considerabit facile intelleget Ciceronem scripsisse: *sic ferarum natura non est illa quidem depravata mala disciplina, sed nata prava* et bacillum non incurvatum sed *ita natum* cum ferarum natura non depravata sed ita nata comparavisse.

Atque libri de finibus quidem ex eorum numero sunt quos ipse ad Atticum scribens *ἀπόγραφα* esse dicit, verba tantum sua. quae confessio nequaquam ad omnia scripta philosophica continuo est transferenda; sed sane nova scribere nolebat, nisi quod Ciceronis verba etiam aliena argumenta orationis pulcritudine nova faciebant ac sua. sunt autem quos componens non Graecos sequi sibi videbatur, praeter libros de legibus quos non edidit, libri de re publica; quorum materiam et argumenta cum manifesto a Graecis sumpserit, proprii tamen consilii opus confecit, cuius simile ut librorum de oratore litterae latinae non protulerunt alterum. id quo modo fecerit, in libro de re publica secundo, qui optimae civitatis exemplum exponendo, id est gravissimo argumento, disputationis cursum retardat, certius quam adhuc factum video cognosci posse videtur, quamvis de auctoribus libri res explorata sit, rectius dixerim quoniam explorata est.

Auctores autem in libro II de re publica Ciceronem et Polybium sequi et Panaetium post Hirzeli de Polybio disputationem nuper demonstraverunt de Scala (die studien des Poly-

bius p. 222 sq.) et Schmekelius (die philosophie der mittleren stoa p. 67 sq. 374 sq.) ita ut dubitari non posse videatur; neque vero illud Cicero dissimulat sed pro sua et aevi sui consuetudine aperte profitetur, cum Laelium faciat dicentem I 34 *memineram persaepe te cum Panaetio disserere solitum coram Polybio, duobus Graecis vel peritissimis rerum civilium, multaque colligere ac docere optimum longe statum civitatis esse eum quem maiores nostri nobis reliquissent;* neque dissimulari potuit illo praesertim tempore quo Posidonii scripta omnium in manibus essent. de Polybio res apparet libri sexti reliquias legenti, atque singula persecutus est Schubertus in dissertatione de libri I et II auctoribus p. 37 sq. et accuratius de Scala p. 296; nam quae de temporibus et de rebus gestis multa habet cum Polybio communia (cf. II 27), ea ad Panaetium referri non posse apparet, item quae cum talibus cohaerent Polybio propria, ut illud de Numa Pythagoreo II 28 *ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quae non solum ficta esse, sed ne fieri quidem potuisse cernimus* (Polyb. VI, 1, 11 *τὸ γὰρ ἀδύνατον ἐν τῷ ψεύδει μόνον οὐδ' ἀπολογίαν ἐπιδέχεται τοῖς ἁμαρτάνουσιν*). in ipsius autem Polybi historiis et regnat illa sententia, rem publicam Romanam esse *τὸ κάλλιστον σύστημα τῶν καθ' ἡμᾶς πολιτειῶν*, et eo consilio eius naturam exponit ut doceat Romanos etiam melius quam Lycurgum coniunxisse *τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἰδιότητας τῶν ἀρίστων πολιτευμάτων*, atque etiam confirmat, omnia ex Panaeti sententia quam suam fecerat, *οὐχ οἷόν τε εἶναι ταύτης εὑρεῖν ἀμείνω πολιτείας σύστασιν*. ergo cum et totum et singula ipso Cicerone duce ad auctores referre possimus, tamen Cicero aliquid ipse praestitisse sibi visus est; quod ne lectores fugiat narratis Romuli rebus his Laeli verbis cavet (II 21): *nos vero videmus* (unius viri consilio ortum novum populum) *et te quidem ingressum ratione ad disputandum nova, quae nusquam est in Graecorum libris;* scilicet Platonem civitatem extruxisse arbitratu suo, reliquos sine ullo certo exemplari formaque rei publicae de generibus et de rationibus civitatum disseruisse: *tu mihi videris utrumque facturus* (ad totam igitur disputationem ista spectant) *es enim ita ingressus, ut quae ipse reperias tribuere aliis malis quam, ut facit apud Platonem Socrates, ipse fingere et illa de urbis situ revoces ad rationem, quae a Romulo casu aut necessitate facta sunt, et disputes non vaganti oratione, sed defixa in una re publica.* tria sunt quae *Graecorum libris* opponit; quorum tertium, disputatio *defixa in una re publica*, quo pacto ex Panaeti et Polybi et ipsius ratione consequatur infra dicam. primum et secundum ad unum idemque pertinent, ita ut prius rem generatim enuntiet, alterum ad praegressam disputationis partem referat; collaudat enim quod quae ipse reperiat aliis tribuat, scilicet quae de optimo civitatis statu definiendo cogitatione effici possint conditoribus unius civitatis cuius exemplo utatur, atque quod quae a Romulo casu aut necessitate facta sint *revocet ad rationem*. id quo modo fecerit videmus § 10. 15 et praesertim in disputatione de civitatibus maritimis, ubi Romuli rationem ex Dicaearcheis supplevit. in eandem rem eum saepius digitum intendisse postea, docent quae dicit § 52 *ego si modo consequi potuero, rationibus eisdem quas ille vidit, non in umbra et imagine civitatis, sed in amplissima re publica enitar, ut cuiusque et boni publici et mali causam tamquam virgula videar attingere*, cf. 31. illud vero ut Africanus instituit pugnat cum Polybi sententia, qui id ipsum exponit c. 10, 12, Lycurgum ratione, Romanae rei publicae conditores non ratione egisse: *ἐκεῖνος μὲν οὖν λόγῳ τινὶ προιδόμενος πόθεν ἕκαστα καὶ πῶς πέφυκε συμβαίνειν ἀβλαβῶς συνεστήσατο τὴν προειρημένην πολιτείαν* (cf. Cic. II 42. 50), *Ῥωμαῖοι δὲ τὸ μὲν τέλος ταὐτὸ πεποίηνται τῆς ἐν τῇ πατρίδι καταστάσεως, οὐ μὴν*

διὰ λόγου, διὰ δὲ πολλῶν ἀγώνων καὶ πραγμάτων, ἐξ αὐτῆς ἀεὶ τῆς ἐν ταῖς περιπετείαις ἐπιγνώσεως αἱρούμενοι τὸ βέλτιον, οὕτως ἦλθον ἐπὶ ταὐτὸ μὲν Λυκούργῳ τέλος, κάλλιστον δὲ σύστημα τῶν καθ' ἡμᾶς πολιτειῶν (cf. 48, 2). quam Polybi sententiam veram quidem esse, sed ex operis instituto neglegi, Laelius subindicat, atque in Panaeti et Polybi sententiam ipse subinde delabitur Cicero, ut II 30 *atqui multo id facilius cognosces, si progredientem rem publicam atque in optimum statum naturali quodam itinere et cursu venientem videris* (Polyb. VI, 4, 13 *διὰ τὸ* [*κατὰ*] *φύσιν αὐτὴν ἀπ' ἀρχῆς εἰληφέναι τήν τε σύστασιν καὶ αὔξησιν*), et 57 *in quo defuit fortasse ratio, sed tamen vincit ipsa rerum publicarum natura saepe rationem*, quae sunt verba eius qui in angustias devenerit. atque cum hoc tractationis consilio aliud quodammodo cohaeret, quod tamen ipsum non commemorat, licet mentionem eius maxime expectemus et id ipsum maxime novum nobis quidem esse videatur. nimirum non exponit statum et instituta rei publicae Romanae, ut facit Polybius, sed historiam enarrat, et postquam in fine libri primi promisit se rem publicam Romanam *et qualis sit et optimam esse* ostensurum, iam (II 3) se *facilius quod sit propositum consecuturum* dicit, si rem publicam *et nascentem et crescentem et adultam et iam firmam atque robustam* ostenderit. cuius rei causam qui in Catonis dicto (II 1), de quo continuo dicturus sum, quaerat, maiorem quam par est inventionis audaciam Ciceroni imputare videtur. atque narrationem rerum Romanarum Cicero apud Polybium invenit eo consilio institutam, ut rei publicae descriptio fundamento historico ad temporum ordinem accurate constructo niteretur; quam archaeologiam Polybius, ut pauca fragmenta docent (inter quae non suum locum occupavit locus ab Athenaeo servatus 2, 5—8), sexto libro inseruerat, ita quidem, ut prooemium exciperet disputatio de variis rerum publicarum formis (c. 3—10), sequeretur archaeologia, deinde de Romanorum re p. disputatio; id ita esse docet et capitis 10 finis et undecimi, ut truncatum ab epitomatore legitur, initium et quae secuntur: *διὸ καὶ τὸν ὑπὲρ τῆς συστάσεως αὐτοῦ λόγον ἀποδεδωκότες πειρασόμεθα νῦν ἤδη διασαφεῖν ὁποῖόν τι κατ' ἐκείνους ὑπῆρχε τοὺς καιρούς.* sed hoc in trancursu, atque recte ordinasse illa Buettnerum-Wobstium sero video; Cicero exemplum rei publicae suae exhibiturus sane non *ὁποῖόν τι ὑπῆρχε τὸ πολίτευμα* exposuit ut promiserat, sed speciem archaeologiae imitandam sibi sumpsit. id mirabile videri debebat dum tantum Platonis civitatem et Aristotelis politica noveramus; invento Aristotelis libro de Atheniensium re publica rectius intellegimus quo modo ad illud compositionis genus Cicero pervenerit. nimirum in libro rei publicae describendae destinato primum historiam dare Aristotelem videmus ab Ione non usque ad ipsius tempora, sed usque ad Xenaenetum sive potius Pythodorum archontem, id est ad eam rei publicae constitutionem quae suo tempore duraverit, deinde enarrare *τὴν νῦν κατάστασιν τῆς πολιτείας.* simili modo eum de ceteris civitatibus egisse et plurima fragmenta docent et Heraclidae epitoma, simili peripateticos post Aristotelem res ipsa, quos etiam magis historico compositionis generi operam dedisse veri simile est. Aristotelis autem *πολιτείας* Cicero non commemorat, sed Dicaearchi complures (ad Att. II 2 a. 694) et ad Demetrii Phalerei libros *περὶ τῶν Ἀθήνησι πολιτειῶν* (Diog. L. V, 80) redit quod in ipso libri II prooemio legitur: *Atheniensium rem p., quae persaepe commutata est, tum Theseus tum Draco tum Solo tum Clisthenes tum multi alii, postremo exsanguem iam et iacentem doctus vir Phalereus sustentavit Demetrius.* quae fere conspirant cum Aristotelis c. 41; nam quod ille primam rei publicae formationem Ioni tribuit, mutationum quas ponit undecim primam facit Thesei, secun-

dam Dracontis, tertiam Solonis, quintam post Pisistratum Clisthenis; cuius generis commutationes Cicero quoque accurate distinguit, cf. II 53. 63. ad peripateticorum igitur libros politicos (cf. de leg. II 14) disputandi rationem conformavit; quae ratio lectoribus, quibus scripsit, minime ignota et *in Graecorum libris* usitata explicatione non egebat. Polybius vero, quem Aristotelis politica ipsa non novisse satis ostendunt quae de Cretensium re publica dicit, res publicas novisse non satis ostendunt quae de Locrensium contra Timaeum disputat (cf. de Scala p. 126 sq.), sane totius operis ratione eo ducebatur ut initia populi Romani illo loco persequeretur. Cicero quo usque historiam perduxerit dici non magis potest quam in Polybio; quae servata sunt ultima de decemviris agunt, et quod Cincinnatum dictatorem memoratum fuisse comperimus ad a. 316 pertinere videtur. sed ut in initio Africanus indicat (v. s.), narrationem usque ad id tempus continuavit quo res publica *ἔσχε τὴν ἑαυτῆς φύσιν*, optimam quidem naturam et novis rebus nondum inquinatam: ex Polybi autem sententia Punici secundi belli temporibus *ἡ Ῥώμη εἶχε τὴν ἀκμήν, κατά γε τὴν τῆς πολιτείας σύστασιν* (VI, 51, 5). iam sola rei publicae Romanae historia non satis reddebat optimae civitatis exemplum, nisi simul exponeretur quo modo optima esset; illud igitur, quod inde sequebatur, proprium est Ciceronis et ab ipso laudatum cum dicit se *defixa in una re publica* oratione uti; nam immiscet narrationi et iniungit Panaetianam de optimae civitatis constitutione doctrinam (cf. 41 sq. 50. 52. 55. 62) et de formarum rei publicae naturali cursu et circuitu, cf. 45—49 (*hic ille iam vertetur orbis* e. q. s., *αὕτη πολιτειῶν ἀνακύκλωσις* Polyb. VI, 9, 10; qua imagine usus est eodem tempore in oratione pro Plancio 93 et in epistulis anni 695 identidem, cf. Hofmannus epist. sel. p. 56). sic demum effecit ut exemplo rerum Romanarum *cerneretur quale esset id quod ratio oratioque describeret* (II 66).

Introitum ut sibi paret ad rei publicae Romanae historiam et transitum aliquem a promissa expositione ad narrationem, dicto Catonis senis utitur Scipio, quod non satis attenderunt qui de Catonis originibus scripserunt (II 1): *is dicere solebat, ob hanc causam praestare nostrae civitatis statum ceteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, qui suam quisque rem publicam constituissent legibus atque institutis suis, ut Cretum Minos, Lacedaemoniorum Lycurgus, Atheniensium* e. q. s. supra exscripta, *nostra autem res publica non unius esset ingenio sed multorum, nec una hominis vita sed aliquot constituta saeculis et aetatibus; nam neque ullum ingenium tantum extitisse dicebat, ut quem res nulla fugeret quisquam aliquando fuisset, neque cuncta ingenia collata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate* (cf. 37). atque illa quidem Demetriana sane non sunt a Catone sumpta, cuius opus nullam doctrinam habuit (Corn. Nep. Cat. 13); atque omnino verba non sunt Catoniana, sed ipsius Ciceronis; tota autem sententia quam maxime Catonem decet, qui non singulorum virorum sed *populi Romani gesta* scribere voluerit, simul non aliena est a Polybi sententia quem vidimus inter Lycurgeam Romanamque rem publicam simile discrimen facere. quae verba quod Scipio ad sermones potius quam ad librum Catonis refert, dialogi naturae et oeconomiae accommodatum est; nullum vero aptiorem locum habere poterat illa sententia quam in Originum prooemio. quod si pergit Scipio: *quam ob rem, ut ille solebat, ita nunc mea repetet oratio populi originem: libenter enim etiam verbo utor Catonis*, testimonium Ciceronis ipsum nos tenere iudico, illud quod quasi ex sermone ipso attulerit in Originibus legi testantis, et inconsulto egisse Iordanum (proleg. p. XXIV) qui

ista ab Originibus plane arceret et dictis Catonis insereret (p. 108). valet autem hic locus in eam quaestionem aliquid quae est de Catonis *Originum* nomine. de quo nomine iam Ciceronis aetate aut non multo post homines Romani dubitaverunt. nam Nepos sic loquitur (Cat. 3): *liber primus continet res gestas regum p. R., secundus et tertius unde quaeque civitas orta sit Italica, ob quam rem omnes Origines videtur appellasse*; quam explicationem obtineri non posse nisi primos tres libros et seorsum editos esse et sequentes in sui tituli societatem traxisse credatur omnes concedunt. alio modo Verrius Flaccus dubitat (Festi p. 198): *Originum libros quod inscripsit Cato, non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus, quando praegravant ea quae sunt rerum gestarum populi Romani.* Dionysius Halicarnassensis autem (I 11) titulum graece reddit *γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων.* hae dubitationes docent Catonem ipsum non dedisse explicationem tituli operis sui. sed quo sensu originis vocabulum posuerit, id quidem Ciceronis verba declarant, qui in eadem re etiam verbo Catonis se uti profitetur. Cicero enim rem publicam Romanam *et nascentem et crescentem et adultam et iam firmam atque robustam* propositurus est, i. e. Polybi verbis *τὴν σύστασιν καὶ τὴν αὔξησιν καὶ τὴν ἀκμήν*, ubi qui *nascentem* tantum ad *originem* pertinere dicat, cum aperta eius sententia pugnet; etenim Cato rem publicam Romanam constitutam esse dixerat *non unius hominis vita sed aliquot saeculis et aetatibus;* ad illa autem aliquot saecula originis vocabulum pertinet. nimirum *origo* ut certam et absolutam significationem habet, sic quando rem re vera ortam esse dicat a scriptoris mente et consilio pendet. ipse Polybius initium ab origine accurate distinguit in rebus publicis, cf. VI 4, 11 *ἐπὶ τὰς ἑκάστων κατὰ φύσιν ἀρχὰς καὶ γενέσεις καὶ μεταβολὰς ἐπιστήσας* e. q. s. (cf. 6, 1); 7, 1 *αὕτη βασιλείας ἀληθινῆς ἀρχὴ καὶ γένεσις* (8, 1); item Cicero II 49 *habetis igitur primum ortum tyranni,* 51 *haec forma et species et origo tyranni,* cf. 21. Cato igitur rem publicam Romanam constitutam et re vera ortam esse post aliquot saecula demum voluit atque rebus gestis populi Romani narrandis originem rei publicae Romanae proponere animum induxerat; id indicare voluit cum *originem* operi inscripsit aut *origines* potius, quoniam reliquas civitates Italicas eodem opere complexus est. neque imprudenter fecit aut contra ingenium rei publicae Romanae, sed acri iudicio ipsam rem perspiciens; ipsa autem ratio tam gravis erat ut iure toti operi nomen inde desumeret, operi scilicet ad id tempus perducto quo rem publicam Romanam re vera constitutam esse diceret. id quo tempore factum esse dixerit quaerendum est. atque non omnes septem libros simul editos esse notum est, cum frg. II 19 (49 P.) a. 586 scriptum sit, in ultima operis parte a. 605 occupatus fuerit (Cic. Brut. 89). quod si testimonium sequi volumus, comprehendere debemus non tres libros sed quinque. nam Nepos postquam dixit: *primus continet res gestas regum p. R., secundus et tertius unde quaeque civitas orta sit Italica (ob quam rem omnes origines videtur appellasse), in quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum,* sic pergit: *atque haec omnia capitulatim sunt dicta*, i. e. *κεφαλαιωδῶς*, quod ad quinque libros pertinere apparet et non recte ad bella tantum illa relatum est a Iordano p. LII sq.; deinde quod sequitur *reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae qui diripuit Lusitanos*, illud *pari modo* non ad *capitulatim* respicit (nam nulla esset sententiarum consecutio), sed hoc significat : quo modo bella Punica primum et secundum persecutus est, cum priora bella singula enarrare noluerit, eo modo reliqua bella tractavit; simul autem intellegimus, quo propius ad ipsa

scriptionis tempora et scriptoris facta narratio perveniret, eo minus capitulatim et magis *κατὰ μέρος* eam institutam fuisse. quae res et cum natura rerum consentit et communis est annalibus Romanis. iam septem libros originum titulum tenuisse, qui tribus tantum conveniret, cum non admodum veri simile sit, ex Polybi autem sententia res publica Romana tempore secundi belli Punici perfecta fuerit, non inepta coniectura sit Catonem, cum Aemiliano eiusque amicis consentientem, quinque illos libros originum titulo complexum esse. sed illud ipsum, quod quinto libro tantum Hannibalis bellum tribuit, non accurate dixisse Nepos videtur, siquidem vix negari potest eum librum ad Rhodiensium legationem, id est res a. 587 gestas, pervenisse; quamquam fortasse non sine consilio dixit, siquidem res post bellum Punicum secundum gestas Catonem non capitulatim sed particulatim enarrasse probabile est. neque vero quod quinque libros propter tractationis genus Nepos coniunxit, inde eos simul editos esse consequitur, immo in Ciceronis libro II quod legimus Romuli consilio *ortum novum populum et adultum iam et paene puberem* esse (21) et prospicere Laelium Scipione *reliquos reges persequente quasi perfectam rem publicam* (22), cum Cicero regum rem publicam re vera perfectam fuisse dicere minime possit (cf. 43), hoc ad Catonis sententiam redire videtur; qui quod *aliquot saecula et aetates dixit*, hoc ad regum annos 241, non ad sex saecula spectat; ergo eorum ratio probanda videtur qui *originem* Romanae civitatis primo libro, Italicarum *origines* duobus sequentibus Catonem tractasse contendunt.

In verbis quae supra exscripsi (II 66) *quale esset id quod ratio oratioque describeret* ratio oratioque significat *τὸν λόγον* et duplici vocabulo graeci simplicis notionem apte comprehendit. ergo non mera paromoeosis est, quales habet in libris de re publica, ut II 7 *et agrorum et armorum cultum.* eadem compositione postea saepius utitur ubi aut rationi oratio aut orationi ratio accedere debet ut graecus *λόγος* satis exprimatur, sic de fin. IV, 10 *cumque duae sint artes quibus perfecte ratio et oratio compleatur, una inveniendi altera disserendi, hanc posteriorem et Stoici et Peripatetici tradiderunt,* et partes inter se opponit facete III 10 *ratio enim nostra consentit, pugnat oratio.* denuo in libro de officiis primo, ubi de beneficiis agens principia societatis humanae tractat 16, 50 *eius autem vinculum est ratio et oratio, quae conciliat inter se homines coniungitque naturali quadam societate,* cum *ferae sint rationis et orationis expertes* (cf. 11 sq. 94). haec a Panaetio transtulit, qui recepit Aristoteleum illud *λόγον μόνος ἄνθρωπος ἔχει τῶν ζῴων.* atque in eodem argumento eadem verborum compositio invenitur apud scriptorem a Ciceronis imitatione alienum Senecam, qui haec habet de benef. I 3, 7: *ergo et Mercurius una stat* (cum Gratiis), *non quia beneficia ratio commendet vel oratio, sed quia pictori ita visum est.* haec ab Hecatone sumpsit Panaeti discipulo, illum e Chrysippi libro transscripsisse dicit; atque hic quidem graeci auctoris verba tenemus in istis Cornuti (c. 16) *ἡγεμόνα δὲ παραδιδόασιν αὐτῶν τὸν Ἑρμῆν, ἐμφαίνοντες ὅτι εὐλογίστως χαρίζεσθαι δεῖ καὶ μὴ εἰκῆ ἀλλὰ τοῖς ἀξίοις· — τυγχάνει δὲ ὁ Ἑρμῆς ὁ λόγος ὢν, ὃν ἀπέστειλαν πρὸς ἡμᾶς ἐξ οὐρανοῦ οἱ θεοί, μόνον τὸν ἄνθρωπον τῶν ἐπὶ γῆς ζῴων λογικὸν ποιήσαντες.* rationem dicit, non orationem; sed ad orationem illud primae societatis vinculum iam pridem rettulerant rhetores, vide Isocr. 3, 5 sq.. et Seneca ut Cicero orationi tantum tribuit ut rationem orationemque in illo argumento complectantur. cf. Plutarchus de recta rat. aud. 44 E *ἀλλὰ καὶ τὸν Ἑρμῆν ταῖς Χάρισιν οἱ παλαιοὶ συγκαθίδρυσαν, ὡς μάλιστα τοῦ λόγου τὸ κεχαρισμένον καὶ προσφιλὲς ἀπαιτοῦντος* (sq. *τὸν λέγοντα*, cf. Sen. II 3).

iam cum multis annis ante Cicero libros de inventione scriberet et in prooemio libri I similem locum de societatis humanae initiis a Posidonio excultum (cf. Corssenus de Posidonio p. 23, Philippsonus in Fleckeiseni ann. 133, 417 sq.) tractaret, eodem modo locutus est 2, 2 *deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos.* videmus locutionem in rhetorum latinorum disciplina inventam esse et usurpatam, ubi Cicero adulescentulus eam didicerat et prooemio inseruit, cuius argumentum a rhetoricae magistro Stoico, i. e. a Diodoto acceperat. triginta annis post, cum libros de re publica scriberet, sane non e libro iuvenili locutionem repetiit sed ex vivo hominum eruditorum sermone in quo invaluerat; item post saeculum Seneca.

Ad finem properans tangam libri quinti de re publica fragmentum a Nonio (p. 521) servatum, sed credere non possum emendationem me primum proferre; tamen in his verbis (V 11): *quae cum Scipio dixisset, admodum probans Mummius* (*nummius* codd.), *erat enim odio quorum rhetorum imbutus* — Italos pro eo quod corruptum legitur *quorum* correxisse video *quodam*, alios *graecorum* vel *antiquorum*, neminem scripsisse quod scribendum erat: *erat enim odio novorum rhetorum imbutus.* sane fragmentum quod in longa novorum oratorum notatione Ammianus Marcellinus adfert (XXX 4, 10), si ad libros de re publica pertinet, huc pertinere minime constat, neque licet ad sensum et locutionem vindicandam Naevi versu uti quem Ciceronis Cato maior adfert 6, 20 *próveniebant oratores novi, stulti adulescentuli.* nam rhetores non sunt oratores. sed docet iste locus, etiam Africanum in quinto de re publica contra latinos rhetoras locutum esse, in quos sic invehitur Ciceronis Crassus (de or. III 94): *hos novos magistros nihil intellegebam posse docere nisi ut auderent;* in cuius edicto censorio anni 662 haec legebantur: *haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta videntur.* atque illi quidem primi latine docebant, sed de rhetoribus urbe pellendis iam a. 593 senatus consultum factum erat, neque illam temporis incongruentiam Cicero in Scipionis oratione curaverit. Sp. Mummius autem, quem III 46 dicentem facit se *vel regnum malle quam liberum populum*, erat ex Ciceronis iudicio (Brut. 94) *nihilo quidem ornatior* (quam L. frater) *sed tamen adstrictior; fuit enim doctus ex disciplina Stoicorum* : ergo non rhetorum odio imbutus erat sed novorum rhetorum.

Sed antequam has de Ciceronis scriptis observatiunculas abrumpam magis quam finiam, licentia disputandi utar atque de ipso viro aliquid dicam. de quo, id est de toto Cicerone, iudicari solet ex eorum sententia, qui aut res populi Romani persequentes certum consilium et animum constantem aut librorum auctores philosophos indagantes diligentiam et iudicium in illo desiderant; qui cum iure iudicent, illud et ipsi committunt quod dici solet, ut ius summum summam iniuriam faciant. nempe adulescens Arpinas propter indolem ingenii et oratoriam artem cito ad omnia summa in civitate et ad amplissimum gradum dignitatis pervenit; vitio rei publicae evenit ut vir non natus idoneus armis aut imperio gubernaculum orbis terrarum sive teneret paulisper sive auctoritate sua tenere videretur, ipsius malo evenit ut aliquod in urbe seditionis periculum sua vigilantia sedaret. inde bene latere non magis ei licuit quam e Cilicia redeunti laurus imperatorias deponere. atqui potuisset ingenio et consilio quietarum rerum cursum gubernare, deliberabat de concitatissimae rei publicae salute ut decebat bonum virum et civem; atque magnopere mihi placuerunt quae ea de re

exposuit O. E. Schmidtius in Fleckeiseni ann. 1891 p. 121 sq.; sed orbem concussum ac trementem stabilire non valebat et male vacillabat, non aliter Cicerones quam Pompeii, cum unus esset qui quadrigarum carceribus effusarum non frustra retinacula tenderet. non audiendus est Cicero verba faciens de dignitate sua, ut ipsum recte aestimemus, sed daemones aspiciendi in turbis rerum turbinibusque virum excutientes omnibus Musis et otio natum. deinde otio datus philosophorum graecorum scripta neglegenter compilavit. scilicet vir amplius sexaginta annorum cum extremis rei publicae malis misere afflictus esset et miserrimam calamitatem domi perpessus, solacium quaerens in philosophiam sese ingurgitabat; sic ad libros componendos perveniebat atque grande consilium philosophiae latinae contexendae ut susceperat exsecutus est. atque, quod summum est si quis de viro iudicare vult, tantae aetatis vir quam in philosophia quaerebat animi constantiam inveuit et postea nec desperavit denuo neque mortem metuit. novimus vitia Ciceronis ac scimus nullum eius vitium non esse cum contraria virtute coniunctum, item scimus maximos quosque et optimos viros hoc modo vitiosos fuisse. sed qui de senatore aut philosopho iudicant, eis cur displiceat intellegimus et cavendum dicimus tantum ne de Cicerone iudicare videantur; iam vero eo perventum est, ut legamus in philologorum libris, Ciceronem non amplius magnopere curari aut curandum esse, siquidem latine loqui in ludis litterisque desierimus. illi numquam audiverunt quid esset, linguae populi sui potentissimum fuisse et ingenii eius formam perfectissimam litteris exhibuisse, numquam legerunt quae de lingua ingenioque populorum Humboldtius dixit. non vindicabo Ciceronis per totam populi Romani vitam et renatarum litterarum latinarum saecula immortale nomen nec quibus in rebus Graecos vicerit persequar; sed quotusquisque nunc Ciceronem legit ut virum cognoscat, quotusquisque eam cum Cicerone familiaritatem inire studet quam cuilibet concedunt scripta quae reliquit? longe plerosque in amorem sui inliciet, ut vivens viventes inliciebat, non Atticum sed etiam Caesarem, ut Petrarca et Niebuhrius castigabant quidem ob meritam noxiam, sed amicum. amabatur ab aliis propter ingenii copiam et, qua homines antiquos vicit, eruditionis humanitatem, ab aliis propter amabilem indolem. nempe ipse amare didicerat ut odisse, atque in discriminibus rerum deliberationes eius dirimere solebat aliquis animi affectus. nusquam id clarius apparet quam in quattuor voluminibus epistularum quas ex provincia redux dies noctesque se torquens et cum Attico tamquam secum varie disputans conscripsit, donec, ut vere dicit in Marcelliana (quod legentes iam ridere suspicor), tantum grati animi fidelis memoria et, quod ex epistulis addimus, amor hominis valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem prudens et sciens tamquam ad interitum rueret voluntarium. vos saltem, commilitones, ipsum adite et pernoscite neve despexeritis quam bona Fortuna nobis fecit talis viri copiam. nempe quo gravius instat publicae humanitati periculum quoque apertius pueri audiunt parum didicisse satis esse, eo acrius nobis, qui sacrum ignem fovere volumus et favillam incitare, studendum est ut vivamus cum viva antiquitate; nam fumum ex fulgore qui dederunt quantum mali fecerint videmus. vivi autem cum Cicerone familiariter potest ut cum Romano nullo, cum Graecis paucis; sed amari se poscit antequam animum suum aperiat et thesauros promat. quare ille se profecisse sciat cui Cicero valde placebit.

I. SCHOLAE ORDINIS THEOLOGORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

AUGUSTUS WIESINGER, Dr., *Seminarii regii catechetici exercitationes* die Merc. h. II—III, *exegetici, in quo selectos Nov. Test. locos explicandos* proponet, die Lun. h. VI—VIII moderabitur; privatim *Theologiam Nov. Testamenti* quinis dd. h. IX—X tradet.

HERMANNUS SCHULTZ, Dr., privatim *Religionis christianae cum ceteris comparatae indolem et veritatem* docebit h. XII, quinis per hebd. scholis; *Librum Geneseos* quinquies p. hebd. hora X interpretabitur; publice *Seminarii regii homiletici exercitationes* more solito moderabitur.

CAROLUS KNOKE, Dr., privatim *De fide intra ecclesiam evangelicam propaganda et confirmanda* ternis scholis h. V disseret; *Martini Lutheri catechismum minorem* ternis scholis h. VIII interpretabitur; *Exercitationes Seminarii homiletici* die Sat. h. IX—XI, *liturgici* h. IX et XI, *catechetici* h. II moderabitur.

THEODORUS HÄRING, Dr., privatim *Theologiae dogmaticae partem II* quinis scholis h. XI; *Encyclopaediam theologicam* trinis scholis docebit; publice *Seminarii regii systematici exercitationes* die Iovis h. VI—VIII moderabitur.

PAULUS TSCHACKERT, Dr., privatim *Historiae ecclesiasticae partem primam* quinis p. h. scholis a die Lunae usque ad diem Ven. tradet h. VIII; *Theologiam symbolicam* quater p. h. die Lunae, Martis, Iovis, Veneris docebit h. IV; publice *Historiam fidei in Africa et in America propagatae* adumbrabit die Mercurii h. IV; *Exercitationes historicas* Seminarii theologici moderari perget die Veneris h. VI.

NATHANAEL BONWETSCH, Dr., privatim *Historiam ecclesiasticam medii aevi* quinquies h. VIII tradet; *Historiam dogmatum christianorum* sexies docebit inde a die Lunae usque ad diem Veneris hora VII, die Saturn. hora VIII; publice *Exercitationes historicas* moderabitur die Veneris h. VI.

b. *Professorum extraordinariorum.*

GEORG. CONR. AMADEUS LÜNEMANN, Dr., *Historiam Novi Testamenti criticam* tradet quinquies per hebd. h. IX.

IOANNES WEISS, Lic. theol., privatim *Epistulam Pauli ad Galatas* interpretabitur binis scholis hora XII; *Primitia religionis Christianae* enarrabit, trinis scholis hora XII; publice *Acta apostolorum* interpretabitur die Merc. hora X, die Sat. hora XII.

c. *Privatim docentium.*

W. BOUSSET, Lic. theol., in *Euangelia quae dicuntur synoptica* introducet quinquies hora IX; in societate *rudimenta criticae sacrae Novi Testamenti* docebit.

ERNESTUS TROELTSCH, Lic. theol., privatim *Historiam ecclesiasticam recentioris temporis* quinquies p. h. tradet hora VIII.

WILHELMUS WREDE, Lic. theol., privatim quinquies per hebd. *Pauli ad Romanos epistulam* interpretabitur h. IX; privatissime, sed gratis *Exercitationes exegeticas* moderabitur die Lun. h. VI—VIII.

ALFREDUS RAHLFS, Lic. Dr., privatim quater hora XI *Introductionem in libros Veteris Testamenti* tradet; privatissime et gratis *Harisii macamas* interpretandas proponet diebus Lunae et Iovis h. III.

II. SCHOLAE ORDINIS IURISCONSULTORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

RUDOLPHUS DE IHERING, Dr., *Exercitationes practicas* moderabitur dieb. Lun. Merc. Ven. h. XII—I.

RICHARDUS WILHELMUS DOVE, D. Dr., privatim *Historiam juris Germanici* quinquies h. VIII—IX tractabit; *Ius ecclesiasticum* sexies per hebd. h. VII—VIII a. m. docebit.

CAROLUS ED. ZIEBARTH, Dr., quinquies per hebd. *Ius criminale* h. XI; quater *Ius privatum Borussicum* h. X tractabit; idem *Ius agrarium* d. Martis et Veneris h. VII exponet; publice *Doctrinam hereditariam gravissimorum huius aetatis populorum* inter se comparabit d. Martis h. X.

FERD. FRENSDORFF, Dr., *Ius publicum imperii civitatumque eius* quinquies per hebd. h. IX—X; *Ius privatum Germanicum* quinquies per hebd. h. X—XI tradet.

C. LUDOV. DE BAR, Dr., privatim *Processum civilem* tradet quinquies p. hebd. h. XII—I; *Exercitationes iuris criminalis* moderabitur die Martis h. IV—VI.

FERD. REGELSBERGER, Dr., privatim *Institutiones iuris Romani* sexies per hebd. docebit dieb. Lun.—Ven. h. VIII et die Merc. h. VII; *Ius commune quod ad familiam pertinet et hereditarium* (pandectarum alteram partem) tradet quater p. h. dieb. Lun., Mart. Iovis, Ven. h. VII; *Exercitationes exegeticas in libros digestorum* moderabitur d. Lun. h. V—VII.

IOHANNES MERKEL, Dr., privatim *Historiam iuris Romani* docebit quater p. hebd. dieb. Lun., Mart., Iov., Ven. h. VII—VIII; privatim *Pandectarum partem primam* excepta doctrina de pignoribus et hypothecis tractabit denis p. hedb. horis dieb. Lun., Mart., Merc., Iov., Ven. h. XI—I; publice et gratis librum ex collectione librorum *Iuris anteiustiniani* quam ediderunt Krueger, Mommsen, Studemund legendum et interpretandum curabit horis singulis p. h. p. d.

VICTOR EHRENBERG, Dr., privatim *Ius mercaturae* quinquies p. hebd. h. VIII—IX tractabit.

GEORG. DETMOLD, Dr., *Processum criminalem* tradet dieb. Lun., Mart., Iov., Ven. h. XI—XII; *Concursum creditorum* tractabit dieb. Lun. et Mart. h. X—XI.

b. *Professoris honorarii.*

THEOPHILUS PLANCK, Dr., lectiones non habebit.

c. *Privatim docentium.*

LUDOVICUS GOLDSCHMIDT, Dr., lectiones non habebit.

FRID. ANDRÉ, Dr., privatim *De doctrina Pandectarum disputationes* reget diebus Mart., Merc., Iov., Ven. h. VI—VII, Sat. h. VIII—IX; *Ius pignoris* tractabit die Sat. h. XI—I.

III. SCHOLAE ORDINIS MEDICORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

EWALDUS HASSE, Dr., lectiones non habebit.

G. MEISSNER, Dr., *Physiologiae experimentalis partem primam (quae ad nutritionem corporis spectant functiones)* tradet h. X quotidie; *Physiologiam generationis et*

embryologiam die Veneris h. V—VII docebit et *demonstrationibus* illustrabit; *Exercitationes practicas* in instituto physiologico moderabitur quotidie horis commodis.

LUDOV. MEYER, Dr., *Scholas psychiatricas* more solito habebit diebus Lunae et Martis h. III—V; *Psychiatriam forensem* docebit horis commodis.

WILHELMUS EBSTEIN, Dr., privatim *Scholas clinicas* moderari perget quinquies per hebd. h. X³/₄—XII et die Saturni h. IX¹/₄—X³/₄; *Pathologiae et therapiae specialis* partem dimidiam tractabit quinquies per hebd. h. VII—VIII (excepto die Lunae).

GUILELMUS MARMÉ, Dr., privatim *Pharmacologiam atque artem formulas medicas rite concinnandi* adiunctis *exercitationibus practicis formulas rite conscribendi et dispensandi* ter per h. h. II—III dieb. Martis, Mercurii et Veneris docebit; *Toxicologiae specialis part. I* studiosis medicinae eruditioribus bis per h. die Lunae et Iovis h. II tradet; *Disquisitiones pharmacologicas et toxicologicas* in instituto pharmacologico quotidie moderari perget.

FRANCISCUS KÖNIG, Dr., privatim *Exercitationes practicas in clinico chirurgico* h. IX—X; *Exercitationes in operationibus chirurgicis* horis definiendis moderabitur; publice *Exercitationes policlinicas* habebit semel p. h.

I. ORTH, Dr., publice *Aetiologiam generalem* tractabit bin. hor. d. Lun. et Merc. h. III—IV; privatim *Pathologiam generalem* docebit quotidie excepto die Sat. h. XII—I; privatissime *Exercitationes histologiae pathologicae practicas* bis d. Mart. et Ven. h. III—V; *Exercitationes practicas corpora morbosa secandi* horis commodis moderabitur.

